1865
Lane Medical Library

D E

SYMPTOMATIS ATQUE THERAPIA TAENIAE SOLII ET BOTHRYOCEPHALI LATI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

AD SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE II. MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLXV

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS WINSELMANN,

ANHALTINUS.

OPPONENTIBUS:

MEINHARDT, DR. MED. PRACT.
KOCH, STUD. MED.
FIEGE, STUD. MED.

GRYPHIAE.
TYPIS FRIDERICI HACHE.

PARTI

OPTIMO CARISSIMO

HASCE

PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

FILIUS.

Quamquam jam multa per saecula vermes, qui in visceribus vivunt atque multas quidem eorum species novimus, tamen recentiore demum tempore viro cuidam, nomine Kuechenmeister, originem ac rationem transferendi horum vermium, saltem taeniae solii invenire easque experimentis demonstrare contigit. Facile intelligi potest, multos medicos longo illo tempore, per quod vermes, qui in visceribus vivunt, noti erant, hanc rem tanti momenti tractasse, quam ob rem variae ac diversae sententiae de iis dictae sunt, quas vel summatim exponere longum est. Jam ante Kuechenmeisteri aetatem compertum erat, homines, quibus, suillam carnem edere aut gustare necesse esset, saepius taenia affectos esse; conjectabatur enim, ex carne taeniam in hominum corpus transferri, sed quomodo id fieret, inveniri non poterat, priusquam Kuechenmeister experimentis saepius factis nihilque dubii relinquentibus rem demonstravit. Ipse dicit se latroni capitis condemnato LXXII, LX, XXXVI, XXIV, XII hora ante capitis supplicium variis in cibis, duodecim, duodeviginti, quindecim, duodecim, octo et decem cysticercos cellulosas dedisse

Sectione quadraginta horis post supplicium facta, decem taenias parvulas invenit, quarum in quatuor hamuli taeniae cognosci poterant; erant magnitudine IV—VIII Mm.

Aliis experimentis a Kurechenmeister factis ova taeniae solii in cysticercos cellulosas transformata esse demonstratum est. Ea ova ac proglottides porculis edenda cum dedisset, res habebat eventum prosperrimum. Eodem modo VII die mensis Jun. et XXIV ac XXVI die mensis Jun. et die II Jul. mens. taeniis alendos porculos curavit, quorum in uno jam XXVI die mens. Jul. interfecto fetus, qui diebus, quibus ova data erant, respondebant, inveniebantur; in altero, qui nono die mens. Quinctil. interfectus est, in omnibus corporis partibus innumerabiles hydatides finuae inventae sunt; tertius tandem XXIII die Quinctil. mens. mactatus omnibus in corporis partibus hydatidibus finnis varia magnitudine varioque progressu impletus erat.

Quibus expositis primum vermes, in visceribus viventes, de quibus supra diximus, breviter describam, tum et symptomata, quae in hominum corpore efficiunt et sanationem eorum exponam, postremo casum, quem ipse diligentissime observavi, referam.

Ac primum quidem de illis vermibus disserturus abs taenia solio initium faciam, quod de illa plura, quam de ceteris, nota sunt. Longitudo harum taeniarum, quae inventae sunt, maxime diversa est. Nonnullae decem, nonnullae viginti pedum longitudinem habebant. Taeniae est caput, collum maxime tenue, corpus, ex plurimis membris, proglottidibus, constat. In capite est proboscis coniformis. In illa duplex hamulorum corona circumque

illam quatuor sina sive vascula ad sugendum. Ea membra, quae in collo haerent, magis tenuia sunt, quam extrema dimidium digitum lata; in illis membris genitalia minima sunt. In ceteris autem distinctissime cognosci possunt, quia tuber in latere altero est, ex quo penis exstat, et in quem funiculus spermaticus atque ovi ductus intrant In illis membris, quae supra cetera nominata sunt, uterus et ovarium cognosci possunt, quod in maximis membris plurimis ovis completum est. Facillimeque in his embryum cum sex hamulis videtur. Atque haec quidem est transformatio illorum embryorum. Extrema maturaque membra nonnumquam dejiciuntur, e corpore exeunt, embryon velum relinquit et ut taenia fieri possit, in intestinum animalis induci debet. Ab intestino in parenchyma penetrat et ex illa caverna, in quam penetravit, scolex posteaque proglottides taeniae fiunt, embryon autem, de quo supra diximus, hujus taeniae cauda est.

Sed nunc de bothryocephalo lato dicturus sum. Non multum inter se differunt taenia solium et bothryocephalus. In capite non proboscis, non hamulorum coronae, non sina ad sugendum, sed modo in lateribus duae foveae rimis similes sunt. Membra autem illius satis accurate ab illis taeniae distingui possunt, quod illorum genitalia non in latere, sed in dorso sunt, ipsa membra latiora quam longiora sunt, quae in taenia non eodem modo se habent. De ea re, quomodo crescat ille vermis nobis modo notum est, non statim ex ovis vermiculos nasci, sed illa ova antea in organa traduci debere. Iis, quae supra diximus, demonstratum est, et taeniam

et bothryocephalum latum transferendis cibis in hominum corpora traduci, et, multi docti homines indagarunt, taeniam praecipue ac fere semper transferri carnibus quibusdam consumptis, ut canum, caprearum, suum, et horum quidem praecipue, quae carnis genera a cysticerco cellulosae id est a taeniae scolece habitentur. Nam scolecem eundem ac cysticercum cellulosam esse, forma capitis, quod est simillimum taeniae solii, ac consideratione et generalium et specialium rerum, in quibus taenia est, ac possibilitate et cysticercum cellulosam in taeniam solium et hujus ova in illum pascendi experimentis mutandi intelligitur, ut Kuechenmeister quoque eventus complurium horum experimentorum, quae supra commemoravimus retulit. Verisimile est sues cysticercum cellulosam eo modo recipere, quod in pascuis ova atque proglottides taeniae solii reperiant et edant. De his quod suis carne comesa taenia in hominum corpore enascitur, nobis etiam multa testimonia et traditionibus et multarum rerum usu afferuntur. Ita quum alii medici Gallici, qui in Abyssinia versabantur, tum Rochet d'Hericourt, omnes homines morbo taeniae affectos esse refert, qua re factum est, ut hujus regionis incolae, eos, qui hoc morbo correpti sint, corpore bene constituto esse putent. Sed monachos Carthusianos, qui nullo alio cibo nisi piscibus utantur, taeniae morbo non tentari dicit. Deinde Judaeos omnino sue abstinentes, et Muhamedanos porcinam modo coctam edentes quam rarissime taeniae morbo affici videmus. Praecipue autem ille vermis in laniorum, coquarum, cauponum omninoque eorum corporibus, qui multa et in-

cocta carne vescuntur aut eam gustant persaepe invenitur. Omnino taenia in hominibus cujusque aetatis atque etiam in infantibus, quamquam in his raro, inest; fere fit, ut homines quindecim usque ad quadraginta annos nati hoc morbo opprimi dicantur, praeterea multi casus, qui nobis de taenia traditi sunt, feminas saepius quam viros ea affici docent. Accepta a majoribus, ut olim viri docti credebant, taenia non est; quod autem ea in pluribus ejusdem familiae invenitur, hujus rei causa est, quod eodem aut simili cibo utuntur; eum morbum fortasse vulgo ingruisse plures medici, quo in numero professor Laneri Turinensis, Dr. Samuel Budd et alii sunt, nonnullis exemplis explicant.

Taenia solium et bothryocephalus latus, hic quidem non semper, inveniuntur in intestino tenui; pro longitudine capiunt spatium, suntque nonnumquam tam longi, ut pertineant usque in crassum intestinum. Caput in parietibus intestini delitescit, qua de causa facile potest perspici, vehementibus intestini motionibus, medicamentis effectis, tamen taeniae caput persaepe non educi, quamquam proglottides jam ultro, id est nullo intestini motu facto, exeunt. Nam quotidie fere proglottides vel in dejectionibus vel in vestibus, vel in lecto aegroti inveniuntur. Nonnunquam taenia in intestino tenui sola, id est sine alia, nonnunquam vero duae atque etiam plures sociati reperiuntur; ita Kuechenmeister se tres sociati reperisse refert, et alii tradiderunt decem atque etiam plures in individuo uno repertas esse et ipse certe scio, professore Mosler curante, commilitoni Gryphiswaldensi septem taeniarum capita eodem tempore depulsa esse

Quibus intelligi potest, significationem „taenia solium“ falsam esse; quum autem ea vulgaris sit, in iis, quae sequuntur, ego quoque ea utar. Bothryocephalus latus autem numquam solus, verum semper complures in intestino tenui sunt.

Jam supra taeniam esse diffusam per Abyssiniam commemoranti mihi, tamen, num aliis in terris reperiatur accuratius quaerendum esse reor. In terris ac regionibus, ubi taenia, in iis bothryocephalus latus non invenitur, aut certe rarissime, et vice versa. Taenia magis percrebuit quam bothryocephalus latus, eaque reperitur in Europa, Asia, Africa et America. In Europa ipsa invenitur sola in Graecia, Italia, Hispania, Germania, Gallia, Austria et Brittannia, contra una cum bothryocephalo lato in Helvetia, Suecia et Russia. In Russia vero bothryocephalus latus praevalet, ut omnino atque inprimis in litoribus et lacubus majoribus frequentius reperitur. Praeterea utrumque genus terminis satis certis continetur, a Vistula ad orientem bothryocephalus latus ad occidentem taenia praevalet.

A taeniis in aegroto magna perturbatio et molestiae variae efficiuntur, attamen non semper taeniarum praesentia in corpore humano pathologicos quosdam effectus habeat, necesse est. Interdum enim aegroti non prius quam proglottides exierant, se a taeniis affectos esse senserunt, bona adhuc valetudine utentes. Natura enim insitum est, ut homines nervosi ac sensibiles multo prius indicia, praesentia taeniarum effecta, sentiant quam alii, qui hujusmodi non sunt. Quo in numero habentur in primis mulieres hystericae, quae, si tantummodo a

taenia tententur quam plurimis organis se male affectas esse contendunt. Apud infantes, taenia saepe nulla quae sensibus percipi possint indicia proferre videtur, qui plerumque, dum vermis ejiciatur, bona valetudine utuntur. Jam supra molestias, taeniae praesentia in corpore humano effectas varias esse dixi. Partim functionis turbationes in recto, partim etiam dolores sunt in abdomine, iique mox colicas simulant, mox gastralgias, mox ejusmodi sunt, quorum natura difficile tantum aut nullo modo possit definiri. Hi, quos modo commemoravimus dolores, certissime crebrrima symptomata taeniae praesentis sunt; locum habent in diversis ventris partibus itemque in lateribus, plus minus vehementes sunt nonnumquam acerrimi et intermittentes. Diarrhoea deinde eos neque comitari neque sequi solet. Quae molestiae ac gravitates interdum tam acres fiunt, ut aegroti consilium medici non exspectantes et maximis doloribus commoti quam celerrime anthelminthica aut omnino medicamenta quaedam sibi acquirant, quae molestias ac vexationes sibi sublatura esse arbitrentur, iisque medicamentis vel tempore inopportuno vel contra mala atque aegrotationes in validissimis inutilissimisque utantur, non considerantes his facile valetudini posse noceri.

Non minus etiam nervi aegroti affici possunt et quidem irritatione, quam taenia in recti nervos facit, in alios nervos transferenda. Sic exempli gratia taeniam sequitur titillatio nasi, amplificatio pupillae, malus gustus, sensus pruriginis et formicationis in cute etc. Quibus de rebus nobis plura exempla tradita sunt. Ut unum afferam. P. Frank aegrotum quendam taeniis

affectum intolerabilem odorem in naso habuisse, nobis refert. Quamquam hujus odoris causa in canali nasali aegroto ipso sita esse poterat, tamen non in eo erat ejecta enim taenia etiam odor malus in naso aegroti evanuit. Quamvis plura symptomata a medicis reflexa nominata, quae taeniae irritatione in recti nervum efficiuntur, nobis referantur, tamen frequentiam hoc modo orientium nervorum affectionum esse nimiam constat, ideoque ne errore capiamur nobis cavendum est.

Quod ad diagnosin pertinet, haec non nimis celeriter perficienda est. Satis certo fieri potest, quum plura, quae supra commemoravimus, symptomata, ut gastralgia colice eaque sine diarrhoea et ani prurigine etc. una reperiantur, aut quum haec symptomata jam per menses et annos exstent, quamquam alius morbus inveniri non potest. Certissime diagnosis tum demum fieri potest, quum ultro vel dato laxante vel anthelminthico proglottides e recto abeunt.

Jam animum intendamus ad therapiam. Haec aeque atque extensio ac cognitio taeniae latae diffusa est. Paullatim permulta remedia ad taeniam ejiciendam proposita adhibitaque sunt, ex quibus tamen notissima tantum afferam et quidem singulatim, quo modo dentur et praeparentur, exponam.

Primum locum tenent „extractum filicis maris aethereae," „cortex radicis Granati", et „flores Brayerae anthelminthicae s. Kousso."

Radix filicis antiquissimum et merito valentissimum remedium contra taeniam. Vulgo priusquam ad dandam radicem filicis ipsam acceditur curatio adhibetur, quae

constat alimentis valde salsis, ut alece et perna cum multo oleo et caepis, tum cucumeribus ac similibus. Quo modo haec curatio adhibita et haec medicamenta data sint ex postposita morbi relatione perspiciendum est. Vis atque efficientia „radicis filicis“ maxime ad bothryocephalum latum referri videtur, qui difficilius, quam taenia solium ejici posse fertur.

Cortex radicis Granatorum praecipue contra taeniam solium adhibetur. Hic mitius quoddam sed satis certe efficax remedium. Validissimus est recens cortex hujus arboris. Datur plerumque in decocto ʒi — ʒii in ℳi — ℳii aquae aut ʒViii — ʒX Colaturae et quidem aegroti mane jejuni spatio horae dimidiae hujus decocti ʒi — ʒiβ aut decoctum totum in partibus tribus per duas horas sumere debent; nonnullis horis post olei Ricini ʒi datur.

Flores Brayerae anthelminthicae
s. Kousso.

Jam antiquissimis temporibus in Abyssinia contra taeniam solium remedium notum et inde a viatoribus in Europam translatum est. Datur adultis hominibus ita:

ʒβ in pulverem redacta commixta tepidae aquae ʒX et per quartam horae partem digesta. Aegrotus succo quodam citri sumto bibit ineunte nausea frigidam citri poscam. Quum hoc remedium intra tres et quatuor horas non efficit, oleum Ricini fere datur.

In Abyssinia hac ratione uti solent. Primo die aegrotus curatione praeparatoria, cujus partes panis et oryzae sorbitio erant, vesci debet, altero die mane in

pulverem redactos flores Brayerae anthelminthicae ʒβ — ʒi in aqua uno tempore sumit. Quum nullus effectus se praebuit, intervallo quatuor vel quinque dierum curatio renovatur.

Deinceps prioribus temporibus haec remedia saepe adhibita sunt:

Semen Cinae apud veteres notissimum atque in infantibus tractandis pervulgatum remedium contra vermes intestinales.

Oleum Sabinae tantum extrinsecus et quidem adipe mixtum in morbo vermium ad perfricandum proponitur.

Oleum animale aethereum in forma „olei contra Taeniam Chaberti", quod tribus partibus „dei Terebinthinae" et una parte „olei animalis foetidi" putidi odoris et saporis compositum est, contra taeniam et quidem ʒi — ʒii mane et vesperi adhibetur.

Oleum Terebinthinae ut petroleum intra, hoc tamen etiam extra, contra vermes indicitur.

Oleum Crotonis acerrimum purgatorium medicamentum contra taenias proponitur tum demum, si extra adhibita remedia nihil efficiunt.

Gummi gutttae etiam conjunctum cum veris anthelminthicis, purgans contra taeniam datur, eodem modo.

Colocynthis.

Kali picronitricum quoque nonnunquam adhibetur, sed hujus remedii aegroti facile impatientes sunt.

Stannum limatum nonnumquam adhibitum est et quidem in partibus ʒi — ʒi, quod remedia purgantia sequi debebant.

Kamala s. Rottlerae tinctoriae Glandulae plerumque in compositionibus cum extract. filic. maris aether. atque Kousso et aliis adhibetur.

Cortex Quassiae quidem commendatur non tamen ad expellendam taeniam, sed ad prohibendum, quominus redeat.

Remedia ad taeniam solium pertinentia, ut jam supra commemoravi, permulta sunt; plurima vero et quidem postremo dicta jam diu non adhibentur; maxime in usu sunt nostro tempore haec tantum:

„radix filicis“, „radix granatorum“, „Kousso“, nonnumquam etiam „oleum Terebinthinae“.

Quod ad prophylaxin attinet, haec ex nascente taenia cognoscitur. Quominus parvuli crudam carnem edant, prohibendum et ne coquae, lanii et alii carnem incoctam gustent vetandum est.

Jam sum allaturus casum quendam supra commemoratum atque a me ipso in clinico Gryphiswaldensi observatum:

Dorothea L., triginta quattuor annos nata, viro nupta, Gryphiswaldensis, ab infantia usque ad annum trecesimum alterum, quo anno febri intermittenti affecta sit, bona valetudine se usam esse dicit. Post hiemen anni $18\frac{6}{6}\frac{3}{4}$ semper de nausea, capitis dolore et lassitudine querebatur. Mense Februaris anni 1864 aegrota primo proglottides in dejectionibus animadvertit. Mense Martio curatio „cortice radicis granati“ facta est, qua magna proglottidum copia ejecta est, quamquam caput taeniae in iis inveniri non potuit; ab hinc aegrota melius se habuit, sed post sex fere hebdomadas priores molestiae

ac gravitates denuo exorta sunt; eodem tempore taeniae partes in alvi depositionibus inventae sunt. Altera curatio extracto filicis aethereae facta eundem habuit eventum ac priores curationes. Magna proglottidum copia abiit, caput vero taeniae frustra est quaesitum.

Quarto decimo die mensis Decembris anni 1864 aegrota in nosocomium venit et de vehementibus capitis doloribus, stomachi spasmo, varia appetitione, alvo astricta et prurigine in ano questa est. Proglottides ultimis diebus ultro abierant, quam ob rem id ipsum tempus ad taeniam expellendam aptum esse videbatur. Nunc „Kali picronitricum“ et curatio praeparatoria illi respondens adhibita sunt. Idcirco die quarto decimo et quinto decimo mensis Decembris data sunt acetaria ex alecibus sive harengis facta, cucumeres et „infusum Sennae compositum“, ut:

Rp :

Infus. fol. Senn. (e ℥β) ℥vi
Natr. sulfur.
Syr. simpl. a͡a ℥i

M. D. S. 1 stündl. 1 Esslöffel.

Vesperi diei quinti decimi mensis Decembris datae sunt etiam tres pilulae (2 gr. Kal. picronitr.) et mane diei sexti decimi mensis Decembris singulis horis una pilula (2 gr. Kal. picronitr.), ita ut omnino 18 gr. Kal. picr. sint consumta.

Quo facto acerrima gastritis exorta est, quam secuta sunt vomitus, infirmitas, febres capitis dolores, insomnia ita ut mox „potio Riveri“ cum „morphio acetico“ daretur necesse esset. Attamen idem malus status usque

ad vesperum diei septimi decimi mensis Decembris permansit. Quibus (18 gr. Kal. picr) datis sclera ut cutis valde luteum colorem sicut in ictero acceperat etiamque urina fulvo colore infecta erat, dum reagentibus additis tamen, quod nos dicimus, „Gallenfarbstoff“ inveniri non posset. In faecibus percopiosis partes quidem taeniae, caput tamen ejus inveniri non potuit. Die nono decimo mensis Decembris demum aegrota in tantum e vehementi morbo refecta est, ut e nosocomio posset dimitti. Post sex hebdomadas, die quarto mensis Februarii aegrota rursum in nosocomio affuit, quod priora symptomata e quattuor diebus ingruerant, ut lassitudo, nausea, vomitus, colicae, quae inprimis mane incidebant et prurigo in ano. Nec non postremis diebus denuo copiose proglottides abierant. Eadem curatio praeparatoria, quae antea, nunc instituta est; quo facto copiosae alvi evacuationes, in quibus multae taeniae partes, secutae sunt. Quum aegrota nuper Kali picronitrici impatiens esset, nunc compositio ex variis medicamentis facta datur, ut:

Rp.:

Kousso ℥v
Kamala ℥ii
Extr. filic. aeth ℥β
Mell. despum. q. s. (℥iβ) m. ut f. bol.
№ LX.

Horum aegrota vesperi diei quinti mensis Februarii numero decem sumsit. Per noctem inter diem quintum et sextum mensis Februarii copiosae alvi evacuationes secutae sunt; aegrota quaeritur de magna lassitudine et vehementissimis torminibus. Mane diei sexti Februarii

denuo sumit tres horum bolorum, et paulo post, hos magnos bolos se devorare non posse queritur, qua de causa ex reliquis eorum pilulae factae sunt.

Sub meridiem diei sexti Februarii faeces inspectae erant, in quibus praeter innumerabiles parvas partes, plures multos pedes longae taeniae partes et in iisdem tria capita inventa sunt. Frequentes alvi evacuationes per tempus promeridianum permanserunt, singulis vero tantum proglottidibus mixtae erant. Prior medicatio omissa est, cujus loco aegrotae nonnullae guttae „liquoris anodyni“ et „tincturae Opii“ datae sunt.

Per noctem diei sexti et septimi Februarii dejectiones alvi minuebantur, in quibus etiam taeniae partes non sunt animadversae. Aegrota de lassitudine tantum questa est. Die etiam octavo Februarii accuratius perspectae sunt faeces aegrotae, quae hodie se satis bene habet, sed etiam hodie proglottides non inveniuntur. Die nono hujus mensis aegrota sana et salva dimissa est, et ipsa post plures menses profitetur, se ex illo tempore hujusmodi molestiis ac gravitatibus non amplius vexatam ac tentatam esse.

VITA.

Natus sum Gustavus Winselmann in Ascaniae vico, cui nomen est Ploetzkau, anno h. s. XLI die XV mens. Maj. patre Theophilo, matre Sophia, e gente Berner, quam morte ereptam valde lugeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis imbutus Gymnasium adii Bernburgense. Maturitatis testimonium nactus mense Aprili a. h. s. LXI ad almam universitatem Lipsiensem me contuli, ubi ab Ill. de Waechter t. t. rectore magnifico in numerum civium academicorum receptus et ordini medico adscriptus sum. Tribus semestribus peractis hanc almam Gryphiam petii, ubi a rectore magnifico Ill. Vogt receptus, apud decanum maxime spectabilem Ill. Bardeleben nomen professus sum.

Per novem semestria praeceptoribus usus sum hisce:

Lipsiae:

Ill. Mettenius: de botanice generali.

Ill. Hankel: de physice.

Ill. Weber jun.: de osteologia et syndesmologia, de myologia, de angiologia, de neurologia.

Ill. Weber sen.: de physiologia, de splanchnologia.

Exp. Kuehn: de chemia anorganica.

Gryphiae:

Ill. Budge: de anatomia sensuum. Idem dux mihi fuit in cadaveribus rite dissecandis.

Ill. Ruehle: de pathologia et therapia speciali, de auscultatione et percussione.

Ill. Pernice: de arte obstetricia, de morbis neonatorum, de morbis feminarum. Idem dux mihi fuit in clinico obstetricio.

Exp. Heineke: de fracturis et luxationibus, de syphilide et de exanthematibus.

Ill. Laurer: de materia medica, de arte formulas medicas rite componendi, de arte fascias chirurgicas alligandi.

Exp. Schirmer: dux mihi fuit in exercitationibus ophtalmoscopicis.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica generali. Idem mihi dux fuit in exercitationibus de anatomia et physiologia pathologica.

Exp. Haeckerman: de medicina forensi.

Ill. Mosler: de morbis renum, de psychiatria. Idem mihi dux fuit in clinico medicco et psychiatrico.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali, de morbis pectoris chirurgicis. Idem mihi dux fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis atque in clinico chirurgico et ophtalmiatrico

Quibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas atque semper gratum animum conservabo.

THESES.

I.

In oculorum morbis nulla therapia nisi topica.

II.

Quum primum typhus minatur magnae Calomelanis doses adhibendae sunt.

III.

Pulsus foetalis graviditatis signum est certissimum.